



† Adm. R. P. Franciscus Dotzler (1898-1954)

(Prov. Baltim.)

Defletus P. Franciscus Dotzler saepius dixerat se minime miraturum esse, si a Deo morte subitanea ex hac vita vocaretur. Nihilominus tota communitas ilchestrensis valde perterrita est, cum talis obitus revera evenit. Die 20 Maii P. Dotzler prima vice initio mediationis matutinae non suo loco visus est. Quia eius horologium expurgificum continuo sonuerat, confratres suspicabantur aliquid mali evenisse, et P. Minister cubiculum intrans Rectorem mortuum invenit. Sub condicione quidem ei sacramentalis absolutio et extrema unctio ministrabantur; medicus illico arcessitus censebat occlusionem arteriae coronariae vitae finem intulisse, somno in hac vita minime interrupto. Tot annorum vivendi ratio actiosa tandem vires cordis superaverat.

Ad exitum subitaneum P. Dotzler procul dubio bene praeparatus erat; nam ante quinque dies exercitia spiritualia finiverat et novitio capillos tondenti dixerat: « Non potes mente fingere gaudium spirituale quod experimur peracto bono secessu. Equidem nunquam feci hoc secessu meliorem ». Ut eius erat mos, etiam ultimo vitae vespere post preces vespertinas per aliquod tempus lectionem spiritualem instituerat. In mensa aperta inveniebatur Adhortatio Apostolica Pii P. XII ad clerum « Menti Nostrae » 23.9.1950, vitam spiritualem sacerdotis tractans, et « Selva » S. P. N. Alfonsi. Ultima defuncti verba, quae confratres audierant, fuerunt verba « Nunc dimittis . . . » in fine disciplinae prolata.

Ecce defuncti viri dies principales. Natus Neo-Eboraci die 14 Octobris a. 1898, schola paroeciali SS.mi Redemptoris absoluta, humanitatis studio incumbebat in iuvenatu Provinciae Balt. in North East, Pa. Noviciatu in Ilchester, Md. facto atque professione festo S. P. N. anni 1919 emissa, in Esopus, N. Y. die 24 Septembris sacerdotio coronatus est.

(1) Cf. C. MADER, *Die Congregation des allerheiligsten Erlösers in Oesterreich*, Wien 1887, pag. 218-226; E. HOSP, *Erbe des hl. Klemens*, Wien 1953, pag. 512-514, 570, 582 s.

Secundo tirocinio Annapoli, Md. absoluto, annis 1926-1930 laboribus paroecialibus Baltimore ad S. Michaelis navabat. Deinde biennium communitati S. Bonifatii Philadelphiae adscriptus, postea a Superioribus ad Missionem brasilianam missus est, ubi, postquam biennium Mirandae apostolicum opus egit, primus Superior in Tibagí, Paraná, constitutus est.

Tibagí, quamvis illo tempore modo oppidum parvum esset, centrum erat ingentis paroeciae missionalis, cuius animarum numerus, attentis duobus milibus annuorum baptismorum, circa 60.000 fuisse aestimatur. Notabilem temporis partem P. Dotzler super equum vel mulum sedens transegit transiens per dispersas Missionis stationes et oratoria.

Quia valetudo eius nunquam nimis robusta erat, post sex annos brasilianos Superiores Patrem Dotzler in patriam revocarunt ac communitati Ephrata, Pa. attribuerunt, ubi plus minusve toti labori paroeciali praeerat et tamquam monumentum activitatis sui pulchram ecclesiam paroecialem e lapidibus sectis erectam reliquit.

A. 1941 Roffiam ad Sancti Ioseph translatus et iam sequenti anno Rector Baltimore ad SS.mi Cordis nominatus, ibi duo triennia commoratus est. Deinde, iterum duobus trienniis, Baltimore ad S. Iacobi Rectoris munere functus, a. 1953 communitati Ilchester praefectus est. Omnibus his locis signa zeli sui ardentis, administrationis fortis, gubernationis sapientis reliquit solidas organisationes, animas illuminatas, ecclesias domusque bene constructas seu pulchre adornatas, res probe ordinatas.

In Ilchester, ultima viae terrestres statione, amoris sui apostolici pastoralisque opus continuabat. A primo mane usque ad noctem rebus domesticis apte componendis, paroeciae prudenter regendae et communitati paterne custodiendae sese dabat. Vere dici potest eum pro confratribus vixisse.

Quicumque eum noverant, confratres, propinqui, paroeciani, consentiunt Patrem Dotzler virum fuisse, qui fines altissimos sibi proposuerit eosque appetere omni die et hora conatu virili studuerit. Nunquam non fuit vocationi suae inconcusse fidelis, Deo Deique regno devotissimus, impavidissimus, ubi Dei vel hominum clara iura defendenda erant. Sed insignia maxime apparentia erant semper amica urbanitas et sibi ipsi non parcens atque constans cura circa alios. Alios gaudentes reddens ipse gaudebat.

Huius vitae centrum et fons erat Christus Eucharisticus, et B.M.V. in via crucis eum confortabat consolabaturque.

Cum corpus exanime expositum esset, e locis pristinae activitatis Patris Dotzler turmae fidelium veniebant, ut ibi orationes fundentes grati animi tributum solverent. In Missa de Requie ecclesia plena erat. In caemeterio inter mortuos confratres corpus Patris Dotzler, ante tempus — humanum dico — laboribus exhaustum, diem Resurrectionis expectat, ut sit semper cum Domino. R.I.P.!